1532 d. 7 Junii

# Andreas Cricius Episcopus Ploceusis
# Bonae Sfortiae Reginae Poloniae

136

Sacra Maiestas et Domina Domina Mea Clementissima,

Humilimam mei Commendationem, de repagulo Montis a Flumine consuluimus cum Domino Palatino, Magistros quos habere potuimus, qui Omnes unanimiter, censent et res ipsa apparet quod nisi fiat ipsum repagulum, eam partem montis ubi est Palatium, Maiestas Vestrae, brevi necessario ruitur, quemadmodum non pridem, ante in Curia Capitaneorum Nobilior ipsius Palatii Pars una cum Monte corruerat, et alii faciendum censent magno sumptu Opus est, tamen Nobis videtur, exemplo Dominationis Abbatis Czerwenz qui simili necessitate montem sui monasterii egregie obstruxit, sumptu ut audio per quam modico idem hic fieri posse, presertim cum exposito ligniorum satis preter palos, quercinos, qui etiam faciliter aliunde demitti poterint,

Credo item, quod ex antiqua materia Ecclesiae multum manebit quod non erit necessarium, Architectus id etiam ad opus obstaculi conducet, quam primum

erit

Domi Dominus Abbas Czerwę mittam pro illo, et de ipsius repagulo, ac etiam impensa diligentissime perquiram, simul ac de Nro consulam, et deinde Mti Vestrae quid quid ab illo cognovero perscribam.

Negocium Plocense cum Thoronen magna cura et molestia, tandem composuimus, utraq parte quod mihi mirum est valde contenta, cum enim Torun produxissent coram Nobis testimonia sub Sigillis Regiis quod non solum non tenebantur respondere in Jure Polonico, sed etiam quod eorum parentes semper se ad fori suum excipiebant ad diluendum, Decreta contra ipsos, vigore contumatiae, obtenta, et Plocen nulla alia damna, praeter impensas, quae in jure Polonico taxari non solent, nisi scapham unam sibi per Torun acceptam docere potuerint, effecimus licet aegre quod Torun daturi sunt ante quadragesimam, trecentos flor. Plocensibus pro damnis et plocenses libenter sunt accepturi et accepturi fuissent adhuc minus more Cevetanor qui pretium Centum flor indicans descenunt ad duos denarios nisi nos licitando, cum Torun ipsos ad eam summam rationibus praeduxissemus. Sed sic fieri solet inter eos, qui vel

bello

vel lite sua fatigati; et metuo ne de Regno Hungariae dissidentibus, idem eveniat, si modo et hoc per tertium, qui necesse licebit, venerant illuc adme Domini Calisien. Bresten. et Junivladislavien. Palatini; multiq alii non vulgares Nobiles qui Concordiam, ipsam mirifice probarunt, faciat Dominus Deus ut pariter Majestati Vestrae probetur.

Sita jam mea Domina nuper auspice Do Deo ieci Ecclesiae meae prima fundamenta Architectiq tam egregii navant operam, quod ut et ipsi pollicentur, et labor ipse judicat, fundamenta omnia ad Festum Sancti Mihaelis educentur, Dominus Deus ceptum Nostrum fortunare ad extremum dignetur, nunc discedo hinc Poltoviam ibi etia structuram, Arcis longe propter fundamenta difficiliorem continuaturus

Me Sacrae Mtis Vestrae Commendo.

Ex Plocka 7 Junii Anno Domini 1532.